



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

II. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Otto Bambergensis Episcopus, vir misericordiarum, qui pauperum urbis suæ catalogum habebat, ut nullus à se indonatus esset, ab infantia Deiparæ consecratus, etiam major ei summè addictus Templum Weyerense ejus honori consecrat, annuísque ad ejusdem laudes continuandas redditibus dicat, infinitis modò claret miraculis. *Balin.* Cessat ibi sterilitas, ubi Maria regnat.

Sanctissima Virgo Mater prædestinatorum, æternitatis Beatæ pignus, vita morientium, quæ hodiè Joannem, necdum natum, originalis peccati nexibus liberâsti, adesto mihi denascituro, ut priusquam vitâ excam, peccatorum meorum vinculis expediar. Visita me gratiâ tuâ, & quod peto, indubiè obtinebo. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum cordis hodie peregrinationem instituem, & celeberrimas per orbem icones Virginis thaumatargas affectibus invisam.

Maria est omnium hominum Mater geniturâ & curâ, quia unum hominem genuit, per quem omnes recreavit, seu regeneravit. *S. Antonin. 4. p. lib. 15. c. 20.*

Quæstio: An Elisabeth revelatione didicerit in Beatiss. Virgine Verbum esse incarnatum, an ex eadem intellexerit? *v. Barrad. hic.* III.